



Okt

M.-s. 204

324.

Aug 26 474 13

PROGRAMMA,
QVOD
SAECVLARIBVS SACRIS,
IN MEMORIAM
AVGVSTANAE
CONFESSI^NONIS,

ANTE HOS DVCENTOS ANNOS
PVBLICATAE,

IN

MARTINEO HALBERSTADIENSI

A. S. R. MDCCXXX D. XXVI IVN.

DEO VOLENTE

SOLENNI RITV CELEBRANDIS,

PRÆMISIT DICTVRVS

M. IO. CHRISTOPHORVS WVRTZLERVS,

SCHOL. MARTIN. RECTOR.

HALBERSTADII, Typis LANGIANIS.



Maxima, multa & effusissima ab inexhausto bonitatis fonte, Numinе Optimo Maximo, profluunt beneficia, quibus homines miselli, ne minimo quidem amoris aut beneficentiae divinæ riuello digni, at rerum tamen omnium indigi, quotidie, imo omnibus horis & momento quolibet, perfundimur atque cumulamur. Tam apertum id et manifestum est, vt, qui negare ausit, cum ratione insanire, aut adversus solem loqui velle videatur. Imo ne ethnicis quidem prudentibus, sola quamvis ratione dulce vterentur, id obscurum fuit: qui, quanto benefactorum coelestium mari homines inundentur, videbunt ac praedicarunt. Ac in primis Seneca praeclare: Dii, inquit, munera sine intermissione diebus ac noctibus fundunt.

Verum quia quotidiana sunt, ac nemo non a teneris vnguiculis per totum vitae cursum iis fruitur: vilecunt, et a plerisque mortalium vel non agnoscuntur, vel non tanti, quanti debebant, aestimantur. Fuerunt inter philosophos priscos, qui, coryphaeo vel Pythagora, vel Platone, vel utroque, lepidam cantilenam cecinerunt: nempe, orbes coelestes perpetuo impulsu ac motu suo maximum et iucundissimum concentum efficere; aures vero hominum perenni coelestis eius musicæ sonitu oppletas adeo obfuscuissent, vt eum non sentiant. Mira omnino res foret, si vera, ac non dulce esset somnium. At hoc

hoc verissimum esse deprehenditur, mentes plerorumque hominum longa et assidua perceptione beneficiorum cœlestium adeo occalluisse, ut ea vix putent diuinitus sibi obtingere, nedum debito honore datorem tam munificum adfiant.

Quantum, vt exemplo rem probem, aëris huius atmosphærici, terram nostram ambientis, est bonum! qui, pariter ac sol, communis naturæ famulus et minister est; qui vtilitates innumeræ cum reliquis rebus creatis, quæ sunt per orbem hunc nostrum, tum maxime homini præstat; quem continue ac irremisse haurimus pulmonibus, et rursus exspiramus; sine quo nec olfacere, nec excreare, nec oscitare, nec sorbere, nec loqui, nec viuere possemus. At quotus quisque est, qui hoc rite pensaret, qui a Creatoris optimi benignitate hoc vitæ præsidium profici sci animaduertat, qui pro tam necessario munere satis gratum sese præstet?

Quanto anima nobilior corpore, quanto præstantiora terrestribus cœlestia, quanto rebus caducis et fluxis digniores sunt perpetuae ac æternæ: tanto maioris etiam sunt momenti beneficia diuina spiritalia, quam ea, quibus corpus vel conseruatur, vel defenditur, vel ornatur. Ac inter illa principem locum obtinent sacrae literae, quas DEVS nobis ipse edidit, tradidit, conseruavit. Nam ab his reliqua beneficia dependent: hique sunt thesauri illi, in quibus CHRISTVS et omnis gratia cœlestis delitescit, et per quos nobis delictorum condonatio, vera vita, animi tranquillitas, felicitasque post mortem etiam duratura exhibetur. Quodque hos thesauros non habet

habemus modo, sed quod frui etiam his licet, quod voluntas diuina a quolibet cognosci potest, quod tantum non omnium tenetur manibus, quod tempora propemodum quotidie diuina hac voce resonant, quod oracula ista vere diuina, per Augustissimam illam Fidei Confessionem, Augustae Vindelicorum ante hos ducentos annos publicatam, declarata, tot praecolum linguis, tot scriptorum libris recte et ad mentem facerrimi Spiritus explicantur: annon hoc diuinæ benignitati tribuendum? annon reponendum in memori animo? annon maximæ DÉO gratiae agendae atque habendæ sunt? cuius prouidentia et Numine Verbum diuinum in lucem denuo protractum, Confessio Fidei tam nobilis edita, nitor religionis sanctissimæ restitutus, totum denique Reformationis negotium gestum et confectum est. Epictetus nihil aliud dixit hominibus agendum esse et publice et priuatim, quam Numen laudandum et celebrandum, et gratias persolvendas, atque et inter fodiendum, et arandum, et edendum, et singulis in rebus hymnum maximum ac divinissimum accinendum esse. Quid nos facere putabimus fas esse? quibus non solum illud rationis lumen tributum est, quo ille gaudens tam opportuna verba loquebatur: sed qui longe maiori luce collustrati, munerumque tantorum sumus participes. At, o rem indignam atque nefariam! quam excæcata, quam obdurata sunt multorum hominum in ipso Christianorum cœtu pectora, qui tanta DEI infusione promerita tam vilipendunt, tam parce recolunt, tam tepide celebrant! Quid, bone DÉVS! heic etiam citius consenescit, quam gratia?

Ac

Ac licet etiam laudes et hymni ingeminentur voce alta et clara: animum tamen maximæ partis psalentium abesse ab illis inde videtur liquere, quod vita sit maneatque, qualis erat, impia nempe et a vero DEI cultu et laude aliena. Hæc enim demum est vera DEI laus, et debita gratiarum actio, si animum DEO totum tradas, si vita fit innocens et sancta, si mores ad normam diuinæ voluntatis quam studiosissime componantur. Hic hymnus non statim diebus dumtaxat, sed per totam vitam canendus est. Quod quia paucissimos videamus facere, sequitur, ut plororumque supplicationes et hymni labiorum potius, quam mentis, opus sint existimandi.

Tantum vero abest, ut externa etiam illa pietatis, laudis, iubilorum, ac gratiarum actionis significatio, si a pura et casta mente profiscatur, ac, non velut per somnum, sed acri mentis intentione fiat, reiiciatur: ut potius tanto celebrius ac sollicitius hoc munus censeatur obeundum esse, quanto gravius et frequentius ad id non diuinis modo legibus, sed ecclesiæ etiam longa et laudatissima consuetudine, imo interdum pii magistratus mandatis concitamus et exstimulamus. Certe feria voluntas est REGIS nostri AVGUSTISSIMI, vt ab omnibus Augustanæ Confessioni addictis rite celebretur dies hic festus et IVBL LAEVS, quo cœtus euangelicæ veritati et religionis puritati deditus beneficium illud maximum recolit, quod ante hæc duo nunc elapsa sæcula DEVS ecclesiæ suæ, nec tantum maioribus nostris, sed nobis etiam illorum posteris, præstítit, cum anno post Christum natum MDXXX a. d. VII Kl. Iul. in Augustanis comitiis

mitiis Inuictissimo Romanorum Imperatori CARO-
LO V, præsentibus ferme cunctis imperii Proceribus,
Norma illa Fidei nostræ illustrissima a Confessoribus
et heroibus constantissimis animo magno et imper-
territio exhiberetur, ac de scripto recitaretur. Tan-
to autem religiosius, tantoque maior studio et ardore
hæc sacra peragi decet: quanto magis id ipsa rei ma-
gnitudo exigit et flagitat. Omnino multi honores
DEO immortali iusti habentur ac debiti: sed profe-
cto iustiores numquam. Eius enim beneficij memo-
ria fæcularis celebrabitur, per quod omnia reliqua
spiritualia nobis reddita et restituta videmus esse.

Quia vero ad omnia non tempora tantum, sed ly-
cea etiam supplicatio decreta est: in Martineo quo-
que nostro gratiarum victimas DEO, religionis Instau-
ratori, Statori Veritatis, ecclesiæque ac scholarum De-
fensori, offeremus. Nempe duae in phrontisterio nostro
habebuntur orationes fæculares: altera hoc ipso Sa-
turni die hora IV pomeridiana; altera perendie, Lu-
næ die, hora matutina IX. Ac illa quidem non
minus erit παρασκευεσκηνη, quam in laudibus B. MARTI-
NI LVTHERI versabitur: hæc vero in explicanda
magnitudine beneficij diuini, per exhibitionem AV-
GVSTANÆ CONFESSIÖNIS nobis præstiti, occu-
pabitur.

Quarum orationum vtramque ut Martinei hu-
ijs MAECENATES, NVTRITORES, PATRONI,
ac FAVTORES beneuole velint audire, diuinamque
benignitatem in schola etiam nobiscum venerari: est,
quod ab Ipsorum liberalitate et humanitate etiam at-
que etiam peto et contendeo, in maximi beneficij lo-

co

co hoc fauoris signum positurus. Fidei autem meae
concreditos, Martinei Alumnos, vt cum in diuina
æde, tum in Lyceo hisce sacris sæcularibus pii inque
Devm grati intersint, moneo et hortor. P. P. Hal-
berstadii, prid. Festi Iubilæi, A. S. R. MDCCXXX.

••••• ••••• ••••• •••••

Lyrica Quædam Sæcularia.

CHORVS.

Felices populi, promite iubila,
Et gratis animis fundite gaudia!
Victrix religio sic iubet alterum
Augustæ Fidei claudere sæculum.

ARIA.

Triumphat alma Veritas,
Mendaciumque sternit;
Triumphat inter machinas,
Ac vim dolosque spernit;
Triumphat, et, fortissimo
Munita Diuum brachio,
Nunc fausta sæcularia
Per templa spargit iubila.

CHORVS.

Felices populi, promite iubila,
Et gratis animis fundite gaudia!
Victrix religio sic iubet alterum
Augustæ Fidei claudere sæculum.

ARIA

ARIA.

Stat ciuitas Ecclesiæ,
PATRIS fauore tecta,
Fundata CHRISTI sanguine,
Per SPIRITVM refecta:
Stat in sacratis rupibus,
Ac sospitata cœlitus,
Ringente quamuis Tartaro,
Perstabit omni sæculo.

CHORVS.

Quapropter merito iubila promimus,
Et gratis animis gaudia fundimus:
Victrix religio sic iubet alterum
Augustæ Fidei claudere sæculum.

ARIA.

JEHOVAH, dives Gratia,
Defende, quos creasti:
JEHOVAH, qui Spes unica,
Tuere, quos amasti:
JEHOVAH, Dux fidissime,
Quos recreasti, protege:
Ut tuta Sion hostium
Quieta spernat impetum!

CHORVS.

Sic et posteritas ultima gestiet,
Ac plaudens pariter iubila concinet:
Sic nostræ Fidei Norma per omnia
Floredit, DOMINO vindice, sæcula!



AB:753875
(X 2360691)

R

Aug 26 474 10

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Farbkarte #13

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches



PROGRAMMA,

QVOD

SAECVLARIBVS SACRIS, IN MEMORIAM

AVGVSTANAE CONFESSI^NONIS,

ANTE HOS DVCENTOS ANNOS
PVBLICATAE,

IN

MARTINEO HALBERSTADIENSI

A. S. R. MDCCXXX D. XXVI IVN.
DEO VOLENTE

SOLENNI RITV CELEBRANDIS,
PRAEMISIT DICTVRVS

M. IO. CHRISTOPHORVS WVRTZLERVS,
SCHOL. MARTIN. RECTOR.

HALBERSTADII, Typis LANGIANIS.